



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

II. Angeli Beatam dicunt; quia Virgo illorum est venerationis objectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

4. eminentes prerogativas, quia cæteris omnibus collocatur in ecclis altius, resplendet lucidius, amatur ferventius, honoratur amplius, sicut dignum est sentire de eius gloriosis meritis. Item respectu Summæ Trinitatis beatificantis habet
4. similiter prerogativas sive stellas cunctis sideribus clariores, quia præ cæteris omnibus æternæ Trinitatis gloriam contemplantibus ipsam Sanctam Trinitatem intuetur limpidius, afficitur erga illam lucidius, contemplatur intimius; & fruatur illa super omnes in cælo felicius, de quibus nemo dubitare debet amplius.

petrus Cespicius in Triumpho B.V. die 8. hæc privilegia specialia ponit. 1. Quod sit Mater Dei. 2. Quod nullam unquam malam inclinationem senserit. 3. Toto vitæ tempore nunquam peccavit. 4. Conceptit è Spiritu S. 5. Peperit absq; dolore, & læsione Virginitatis. 6. In cælum cum corpore assumpta. 7. Ad dexteram Filij sedet. *Alexius de Salo lib. Methodi admirabilis amandi,* has numerat excellentias. 1. Est æterna prædestinatio. 2. Sinè macula conceptio. 3. Puritas Virginalis. 4. Maternitas Dei. 5. Obumbratio Spiritus S. 6. Plenitudo gratiæ 7. Secretariatus Summi Monarchæ. 8. Contemplatio continua. 9. Exaltatio super omnes creaturas. 10. Imperium in totum universum. 11. Mediatrix officium. 12. Omnibus veneratio.

2. Angeli Beatam dicunt.

Quia Virgo illorum est venerationis objectum,

Richard. à S. Laur. lib. 1. cap. 2. Ter ad minus in Canticis in persona Angelorum quaeritur: Quæ est ista? non tantum quia personæ mirantur excellentiam, sed forsitan quia dulce sibi nomen desiderant responderi: sicut enim antiquis Patribus, *Isaia,* & cæteris nomen Domini in desiderio erat, ut scilicet inter homines nominaretur Christus, ut qui totus erat in cælo, effunderetur in terram, sic Angeli nomen Mariæ desiderabant nominari, & in notitiam effundi, ut non intra terræ terminos clauderetur, sed etiam celebre haberetur in cælis. *Cant. 3. Quæ est ista que ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Quod etiam ex eo procedere potest. Quia ut *S. Anselm. serm. de Concept.* In æternitate consilij sui statuit Deus Mariam Dominatricem & Reginam fore Angelorum. *B. Laur. Justin. ser. de Amanc.* Gabrielem nunciantem describens ait. Gratiæ plenitudinem in Maria Cælestis Nuntius cognoscens, salutatur illam tanquam sibi Dominam, honoreque dignissimam. *S. Bonav. in 3. distinct. 9. art. 1. q. 3. in cap.* Quoniam excellentissimum habet nomen, ita quod excellentius puræ creaturæ convenire non potest, non solum viatores, sed etiam comprehensores, non solum homines verum etiam Angeli eam quadam prerogativa speciali reverentur. Imò juxta *Damian. serm. de Assump.* Sicut sol solus orbem illuminat, sic hæc sola solidiori lumine Angelos illuminat. *Bernardin. tom. 1. conc. 5. cap. 6.* Electa est ut sol ad irradiandam totam multitudinem Spirituum Beatorum.

Præ-

Præterea Bernardus hom. 1. super Missus. Honorate SS. Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum Regem, nostri generis Reparatorem, vestræ civitatis Restauratorem. Et certe colunt eam, ut exaltatam supra omnes suos choros. *S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 20. par. 15.* Plus distat Virgo à Seraphim in dignitate, & gloriâ, quàm Seraphim à Cherubim, sed Seraphim per excellentiam dignitatis ordinem habet superiorem ad Cherubim, ergo Virgo est super Hierarchiam Angelorum. *S. Thomas opusc. 8.* Et dixit Angelus, Dominus tecum. Quasi dicat; deo exhibeo tibi reverentiam, quia tu familiarior es Deo, quàm ego: nam Dominus est tecum, Dominus inquit Pater cum eodem Filio, quod nullus Angelus nec aliqua creatura habuit. *Luc. 1. Quod enim nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei, Deus Filius in utero. Hsai. 12. Exultate laudate habitatio Syon, quia magnus in medio tui sanctus Israel.*

Aliter ergo Dominus cum B. Virgine, quàm cum Angelo quia cum ea ut Filius in Angelo ut Dominus; In ea Spiritus S. fuit ut in templo. Undè dicitur *Temples Domini, Sacramentum Spiritus S.* *Luc. 1. Spiritus Sanctus superveniet in te,* sic ergo familiarior est cum Deo quàm Angelus, quia cum ipsa D. Pater, D. Filius, Deus Spiritus S. scilicet tota Trinitas. Undè cantatur de ea: Totius Trinitatis nobile Triclinium. *S. Chrysost. serm. de B. V. Vis cognoscere quantum hæc Virgo sit præstantior cœlestibus potentibus? illæ cum timore & tremore assunt faciem velantes suam; hæc humanum genus illi offert, quem genuit.*

S. Epiphani. serm. de Deip. sic eam probat Sanctiorem Cherubim & Seraphim. Illi enim avertuntur cum nequeant spiritualem ignem Divinitatis fixis oculis intueri; Hæc autem apertis oculis fixè intuens incomprehensibilem & formam expertem oculum illius cum desiderio, & osculo salutabat. Exercitus Angelorum qui sunt scabellum pedum Christi procedentes nec videre possunt nec contingere. Hæc verò labra labris conjungens incomprehensum salutabat.

Alium adhuc titulum propter quem Angeli SS. maximâ veneratione profitentur Virginem, advertit *S. Anton. 4. part. tit. 15. cap. 14. parag. 3.* Angeli recipiunt illuminationem, perfectionem, & beatificationem à Jesu per quem omnia restaurantur in cœlo & in terra, ergo B. V. cum sit Mater Jesu, causa est aliqua gloria Angelorum, ut aptè dicatur Mater eorum.

Undè juxta *Damasc. orat. 2. de dormit.* Hodierno die (festo Virgini) choreant agunt Angeli, plaudunt Archangeli, Virtutes concelebrant, Principatus exultant, Potestates lætantur, Dominationes gaudent, Throni diem festum agunt, Cherubim laudibus efferunt, Seraphim gloriâ afficiunt, nec minus ipsi gloriâ afficiuntur, cum gloriâ Parenti gloriam tribuunt. Breviter *S. Athanas. serm. de Deip.* Beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium hierarchiæ, à quibus & in cœlis benedicuntur & in terra beata prædicantur.